AUGUSTINUS

Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 24r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift



postea crediderunt. pro quibus et ipse orauerat dicens. Pater ignosce illis. quia nesciunt quid
faciunt. De qua ex ignorantia et apostolus dicit. testimonium illis perhibeo quia helum dei ha
bent. sed non secundum scientiam. Tunc enim et hoc sub iunxit atque ait. Ignorantes enim dei
iusticiam et suam uolentes constituere. iusticie dei non sunt subiecti. Hec dixit esayas.
quando uidit gloriam eius et locutus est de eo. Quid uiderit esayas. et hoc quomodo ad dominum
ihesum pertineat. in libro eius legendum et intelligendum est. Vidit enim non sicuti est. sed
modo quo dicam significatiuo. sicut prophete uisio fuerat. informanda. Nam uidit et mo
yses. et tamen ei quem uidebat. si inueni inquit gratiam ante te ostende mihi temet
ipsum manifeste ut uideam te. quia non uidebat sicuti est. Quando autem hoc nobis fu
turum sit. idem iste iohannes euangelista in epistola sua dicit. Dilectissimi. filii dei su
mus. et nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit similes ei erimus. quomodo
uidebimus eum sicut est. Poterat dicere quomodo uidebimus eum. et non addere sicut est. Sed quia sci
ebat a quibusdam patribus et prophetis uisum sed non sicut est. ideo cum dixisset uidebimus eum. ad
didit sicuti est. Nemo enim uos fallat fratres ex quo dicitur inuisibilem patrem. et uisibi
lem filium. Hi enim hoc asserunt qui putant eum esse creaturam. nec intelligunt secundum quod
sit dictum. ego et pater unum sumus. Prorsus in forma dei in qua equalis est patri. etiam filius in
uisibilis est. Vt autem ab hominibus uideretur formam serui accepit. et in similitu
dine hominum factus uisibilis factus est. Ostendit etiam se ante quam susciperet
carnem oculis hominum sicut uoluit in subiecta sibi creatura. non sicut est. Mundemus
ergo corda per fidem. ut illi ineffabili et ut ita dicam inuisibili uisioni preparemur.
Beati enim mundo corde. quomodo ipsi deum uidebunt. Verumtamen et ex principibus
multi crediderunt in eum. sed propter phariseos non confitebantur. ut de synagoga non ei
cerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam dei. Videte quem admodum no
tauerit euangelista et improbauerit quosdam quos tamen in eum credidisse dixit. qui in
hoc ingressu fidei si proficerent amorem quoque humane glorie proficiendo superarent.
Quem superauerat apostolus dicens. Michi absit gloriari. nisi in cruce domini nostri ihesu christi. per
quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo. Ad hoc enim et ipse dominus crucem suam
ubi eum dementia superbe impietatis irrisit. in eo quod in illum crederent frontibus fixit.
ubi est quodammodo sedes uerecundie. ut de nomine eius fides non erubescat. et magis dei
gloriam quam hominum diligat. Sermo l. iiii. ab eo quod ait ihesus qui credit in me
non credit in me sed in eum qui me misit usque ad id quod ait. sed qui misit me pater ipse
mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar. Capitulum c. viii.

Loquente domino nostro ihesu christo apud iudeos. et tanta mi
raculorum signa faciente quidam crediderunt predestinati in uitam eternam quas
etiam uocauit oues suas. quidam uero non crediderunt nec poterant credere. eo quod occul
to nec tamen iniusto iudicio fuerant excecati et indurati. deserente illo
qui superbis resistit. humilibus autem dat gratiam. Ex quo autem qui crediderunt alii usque adeo
confitebantur ut palmarum ramis acceptis uenienti occurrerent. in eadem
laudum confessione letantes. Alii uero ex principibus non auderent confiteri. ut de